

calibrite

colorchecker classic

**ORATIO PARÆNETICA**

*pro solemnī Studiorum Inauguratione*

**IN REG. COMPLUT. UNIVERSIT.**

DICTA

*coram ejusd. DD. et MM.*

XV. KALEND. NOVEMB.

**A R. P. M. F. BARTHOLOMÆO ALTEMIR,**  
Reg. Observ. S. P. N. S. Francisci Instit. Theologic.  
Cathed. Academiae Sacrae et Forensis Orator. Moder.

*Sc., Sc., Sc.*

**MATRITI:**  
**APUD EUSEBIUM AGUADO,**  
REG. CAMERÆ, REGIÆQUE UNIVERS. TYPOGRAPH.  
MDCCCXXIX.

mm

COLECCIÓN GOMEZ DE LA SERNA

1829.

9034

501



501



# ORATIO PARÆNETICA

pro solemnī Studiorum Inauguratione

IN REG. COMPLUT. UNIVERSIT.

DICTA

coram ejusd. DD. et MM.

XV. KALEND. NOVEMB.

A R. P. M. F. BARTHOLOMÆO ALTEMIR,  
Reg. Observ. S. P. N. S. Francisci Instit. Theologic.  
Cathed. Academiæ Sacræ et Forensis Orator. Moder.

*Ec., Ec., Ec.*

---

**MATRITI:**  
APUD EUSEBIUM AGUADO,

REG. CAMERÆ, REGIÆQUE UNIVERS. TYPOGRAPH.

MDCCCXXIX.

ORATIO PARALELICA

pro solenni Studio in Schola

IN REG. COMPLUT. UNIVERSIT.

DICTA

*Quid Sapientia præstantius? CIC. ORAT. 140.*  
*Posside Sapientiam, quia auro melior. PROV. 16. v. 16.*

XV. KALEND. NOVEMB.

A. R. P. M. F. BALTHAZARIS ATTENSI,  
Reg. Orator & P. M. S. Farnesiani Instit. Theologicæ  
Cathol. Academiæ Sacer. et Forensis Orator. Modest.

1773

AVERTISSEMENT

AND HUBERTUS AGUADO

REG. ORATOR & P. M. S. FARNESIANI INSTIT. THEOLOGICÆ

MODEST.

DE PRAESTANTIA SAPIENTIAE.

**M**irum vobis sane videbitur, A. A., quod delibatis pene eloquentiæ rivulis eam aggrediar dicendi materiem, cujus vel ipsi summi nominis oratores foecunditati invideant, nodos vereantur, succumbant amplitudini. Sciatis nihilominus oportet, reluctante meæ tenuitatis conscientia, et territum ab eo proposito deflexurum, nisi quos testes habitura est oratio, ab intemperantis critices immoderata prurigine procul viderim, eosque propterea non tanquam Aristarchos (nisi ut Atticus Ciceronis) metuam; sed ut benignos potius verear Mecænates. Aliter nec tentare adhuc, ut tentasse glorier, auderem;



sed cum D. Bernardo: *In magnis voluisse sat*, pronuntiarem.

Ast proh Deus immortalis! Inde mihi affulget spes, ubi subortus est timor. Grave quidem est onus, ut ajebat olim Cicero, se esse omnibus tacentibus unum numero audiendum. Grave, inquam, immo et gravissimum; sed quamvis hoc ita sit, mihi que millies millies quam oratori romano gravius videatur, ad conspectum tamen vestrum, hodierna die nunquam gratiorem, non modo eos, quibus partim diffidentia animi, partim timore prius jactabar motibus, sedari sentio, sed humili quadam gloria superbire animadverto.

Erigit insuper animum ipsamet argumenti dignitas, sola namque dicendi copia me inopem potest efficere. Nihil mihi ergo jucundius, fateor mehercule, quam in hoc sapientissimo Athenæo coram vobis sermonem instituere, dummodo sicuti meis est votis materia congrua, ita et vestris auribus

digna evadat oratio. At monitos volo, non ut vos edoceam impræsentiarum me alloqui (absit penitus), sed ut à vobis audiar, quia ut æterna innuit veritas: *Audiens sapiens sapientior erit.* Id etiam in memoriam repetite, quod si spumeum verborum ambitum expectetis, ab incepto opere illico super sedere satius esset; hoc enim, testante D. Isidoro, horret sapientia: at si vernans eloquium venustate et amœnitate luxurians expetunt alii, agnoscant amabo, nec me, nec vobis dignum esse, prudentibus namque viris, ut inquit D. Prosper, *non phalerata sed fortia placent.* Denique si Salomonica illa verba: *Favus mellis composita verba*, objiciantur, perquam optime, pro me laborat quisquis illa opponit; nam cum per mel sapientiam designet mellifluus Doctor, nulla erit profecto aptior compositio, quam ipsam sapientiam, si non ut par est, extollere, pro virili saltem, et quantum fas sit commendare.

non Ecce scopum, en jam impolitæ hujus ac elangüentis alloquutionis propositum, nullumque meo judicio hisce nostris temporibus accommodatius, Doctoribus, quos omni ex parte conspicuos suo est sinu amplexa Complutensis Academia, illustrius, atque hispanæ nostræ juventuti profectius exhiberi potest. *Quid enim præstantius Sapiëntia?* ut Tullium exscribens in ipso themate exaravi? Nihil revera laudabilius quam, dum insanientis sæculi Sapiëntiæ immeritæ laudes undequaque tribuuntur, veræ Sapiëntiæ imaginem depingere, ut Sapiëntiam à Sapiëntia discriminent adolescentes et internoscant, ne foedissimum spectrum pro bellula et pulchella illius specie incaute amplexentur.

Ne ergo pro vera Sapiëntia inanem et ementitam usurpent, pro humili inflatam et tumidam, pro ea, quæ rerum cognitione nobilis æterno, æquo pariter cum Religione foedere conjungitur, illam, quæ omnis domi-

nationis cupida ab ipsamet Sapientiæ natura elongatur; pro ea tandem *cujus initium est timor Domini*, illam, quam concinne atque bellissime describit Gregorius Papa, et cujus est inter alia *Sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare*, ediscant, ad intentum pergens, *Nihil vera Sapiencia præstantius* suadere conabor.

At ne argumentis metaphysicis, aut ingeniosis subtilitatibus irretiamur, non tam à priori, ut vulgarissimum apud Scholasticos, quam ex illius effectibus ipsum erga hominem, Religionem et Rempublicam argumenta depromam. Faxit Deus, ut hoc, quod reverentia potius et observantia in dignissimum hujus Academiæ caput, quam voluntate, aut ulla gloriæ apud vos aucupandæ libidine suscepisse notum est, feliciter eveniat; ita tamen ut, dum inter disserendum laudibus ornem Sapienciam, in eo D. O. M., cujus pulcherrimum illa est donum, potis-

simum laudetur, atque ad ejus gloriam studia, vigiliæ, laboresque omnes, quos incipientis anni curriculo exantlabimus, referantur.

Vestra igitur venia, Illustrissime D. D. Cancellari, &c., &c.

Dignam Sapientiæ imaginem oculis vestris offerre promissi, A. O.? Eheu! Difficilius quam coelum manibus contrectare nunc negotium existimo! Gordianum nodum absque Alexandri gladio forsitan felicius solverem, quam rem tantam, tantillus cum ipse sim, fortunatè absolvam. Quis exigua scintilla immensum Solis splendorem expressit? Quis parvula conchilla profundam abyssum exhaurire tentavit? Abyssus ergo est Sapiencia, inquit Possidonius. Sed pollicitis standum. Eam quapropter quibus queam verbis depingam, ac pulchritudinem primum, pulchritudo dein dignitatem, majestatem dignitas, imperium majestas, cunctaque simul sapientiam, qualis in se est, aliquatenus adaperient, ut illius cupiditate incensi

juvenes ac vehementer inflammati, oh utinam! stadium pariter et studium arripiant, supremumque gloriæ bravium adipiscantur.

Ast undenam in tanta rerum copia et ubertate exordiar? A quo initium sumam? An à veterum testimoniis, quæ quantum hac in re valeant nemo non videt? Locupletissimos omnium ætatum testes, viros scilicet; tum ex Græcis, tum ex Latinis doctissimos, quorum præclarissimæ de Sapientiæ sententiæ recensentur, in medium possem adducere. Etsi enim nihil tam absurde dici possit, quod ab aliquo Philosophorum non sit dictum, ut scripsit Cicero; ne unus quidem vel leviter inhonorat sapientiam, quinimo summis laudibus omnes eam prosequuntur. Quam multa ex Diogene, Thucydide, Aristotele, et Xenophonte! Quot etiam ex Catone, Tullio, Seneca, aliisque innumeris egregie dicta memorarem!

Solam sapientiam homini expetendam, omneque ad eam vitæ genus conferendum

nonnulli dixere. Præstantissimum esse donum, quod hominibus Deorum benignitas elargitur, aliis visum fuit. Præcellens denique bonum è Coelo delapsum, vel omnium potius bonorum congeriem, hic, iste, ille, omnes indiscriminatim asseverant. Et merito, qui enim inter sapientissimos sapientioris laurea decoratur, affirmare non re-  
nuit omnia bona Sapientiam comitari.

Plato, qui ob mirandum ingenii acumen divinus à queisdam appellatur, cum de Sapientia sæpenumero disseruerit, illud dixisse fertur: tantum ei inesse pulchritudinis atque decoris, ut qui nunc plerique pauci faciunt (eo quia adspectabilem ejus speciem non in typo cernere, sed sola mentis acie liceat contemplari) mirifico in illam amore raperentur, si in sui natura conspiceret quomodo datum foret. Neque dubitandum: quis enim, si ut Plato Sapientiam adumbravit intueretur, cum Sapiente vere Divino non exclamaret: *Amator factus sum formæ*

*illius?* Nullus sane aliter loqueretur, cum in pulchrum naturali veluti pondere ferantur omnes, et Sapientia Christianorum incomparabiliter pulchrior sit, ex Augustino, quam Helena Græcorum.

Hinc est quod cum Philosophorum ille Sapientissimus Socrates pulchritudinem oratione quadam invitus damnare cogeretur, hujusmodi aggredi scelus apertis oculis abhorruit, et nisi utroque orbatum lumine ostendens invehi eam non posse, ipse tunc geminas simul oculorum acies propriis manibus occlusit. Si igitur erga illam, quæ Spiritu Sancto afflante vana dicta est pulchritudo, sic se Philosophus gessit, quid de Sapientia, quæ non tantum pulchra, sed et vera, et ipsamet pulchritudo, omnium cujuscumque generis Sapientum suffragiis proclamatur, sentiendum? Vosmetipsi judicate, inmemores nunquam, non de simulacro Sapientiæ, cui thura offerunt gentiles, aliique, sed de illa, prout à me explicata est.



et explicanda superest, sermonem procedere.

His ita stabilitis, Tullium, quo nemo unquam melius de sapientia loquutus, hac de re consulamus. Placetne vobis nomina, quibus eam insignivit, audire? Audite. *Ars vivendi est, inquit, omnium virtutum princeps, hominis custos, moderatrix rerum, domina cordium, artium mater, omnium arbitra, qua nihil uberius à diis immortalibus, homine dignius, hominumque vitæ præstantius datum est.* Hucusque Cicero, etsi omnia in compendium redacta, ac Ciceronianis leporibus exuta et spoliata.

Sed hunc aliosve permultos, quos referre longum foret, silentio premens, omnium multo dignissimum testem, qui veræ Sapientiæ cultor fuit, et in eam encomiis afficiendam totus et indesinenter incubuit, adhibebo. Facile est intellectu Salomonem indici, seu digito designari, inscius namque est nemo, non inani aut vacuo vocabulo, sed ob altissimam à Deo inditam re-

rum cognitionem, sapientem antonomasticè appellari. Salomon itaque in eo, quem Sapientiae librum inscripsit, omnia, quæ de ejus pulchritudine grandia, excelsa atque sublimia congeri queunt, congegit, ad illius delicias voluptatemque homines alliciendi gratia.

Et quia omnia istiusmodi plusquam aurei voluminis vobis fortassis audire, mihi que recitare molestum satis esset, à sexto tantum ad duodecesimum usque caput percurrite. Quæ Sapientiae dignitas! Quæ magnitudo! Auscultate, intendite. Nunc ejus originem à coelesti fonte et divino profluentem declarat; nunc ejus excellentiam vividissimis exprimit coloribus; nunc tandem viribus, et fortitudine longe potiolem, auro, argentoque pretiosam magis ostendit. Super salutem et speciem amabilior, regnis, sceptrisque potentior; stellis, sole ipso splendidior, præ omnibus postremo utilior prædicatur, omneque illi bonum apportas-

se ingenuè profitetur. Hæc autem non verbo tantum aut lingua dixisse, sed opere et veritate complese, eximium ejus circa Sapientiam judicium, quod divina narrat historia, quodque haud ulli in Scriptura mediocriter versato non innotescit, satis superque manifestat. Aviti regni habenas jamjam capessenti, à summoque rerum arbitro optione data, num effluentibus divitiarum copiis redundare, num sapientiam melius vellet possidere? Ingentibus opibus flocci factis, auri et argenti pondere abjecto, terrenisque omnibus calcatis, nedum posthabitis, sapientiam prætulit, sapientiam exoravit, sapientiam adeptus est. Salomone omnia digna.

Jam verò illius naturam obiter contemplemur. Sapientia, quæ *sapida est scientia* si ad ejus etymon attendamus, quia ea nihil est dulcius, ac magis saporum, ut Prudentii carmen mutuans quidam cecinit, *in humanarum, divinarumque rerum cog-*

*nitio*ne, Sanctorum Patrum, Doctorum, Theologorum, Philosophorumque Ciceronis gressus insequentium omnium testimonio consistit, et sita est. Quasi præfulgens fax hominis animum radiantissima adeo luce perfundit Sapiencia, ut ex tenebricoso lucidum, ex hebetate acrem, ex sordido purum, ex silvestri et inculto civilem ornatumque eum faciat. Ea hominem in gradum reponit, dignitatem ei conciliat, ab imperita vulgi facie secernit, et quantum homo rationis compos à cœcis animantibus discrepat, tantundem sapiens ab insipienti dissidet et stulto. Hinc celeberrimum apud antiquos illud Ciceronis effatum: *Sapiens solus Rex, solus dives, solus formosus*. Cui valde Salomonis congruit sententia: *Melior est puer pauper et sapiens, rege senes, et stulto*. Quid plura? Sed majora videbitis.

Simul ac Sapiencia hominem excolendum suscipit; quam pulchris rerum speciebus imbuit! Quanta illi abditissima naturæ

arcana in istius visceribus delitescantia aperit! Virtutes elementorum noscere, coelestium motus vestigare, solis cursum adstringere, lunam nunc infantem, adultam posthac, senescentem denique certa via, ac ratione persequi, et quidquid formosi, atque mirabilis hujus mundi structura continet, omnia ferme Sipienti concessum est penetrare. Qui ergo maxime perspicit, quid in quaque re verissimum sit, rationemque potest reddere, sapiens iste á Tullio censetur. Ex hac Tulliana Sipientis descriptione quasi sponte fluunt singularis ac pene incredibilis Sipientiæ potentia, quæve excellentissima ei irrogata sunt privilegia. Ut plurimum servata, et ab omnibus saltem recognita.

Quid apud homines homini dulcius, quam vera sinceraque suis cum Sociis amicitia? Nihil in societate jucundius, ex sacris litteris patescit. Sipientes igitur Sipientibus (quorum sola desideranda amicitia)

etiam ignotis amicos esse, vel ipsi Stoici  
 cognoverunt et fassi sunt. *Ejusdem benefi-*  
*cio*, ait Theodoretus, *absentibus etiam conver-*  
*samur*. Quid in ipso hominum coetu delectabilius quam non effrænata et chimerica, sed vera et rationabili libertate potiri? *Nisi ergo Sapientem liberum esse neminem* docuit Cicero. Quid optatius, aut in quod ardentius abeant homines, quam aliis præcipere et imperare? Aliquibus retro sæculis patrimonium et quasi Sapientiæ vinculum tenebatur imperium; unde omnes Græciæ sapientes, si Thalem Milesium excipimus, suis civitatibus libero populorum consensu, hilarique suorum incolarum plausu præfuerunt.

Inter Sapientiæ quoque privilegia stupenda illius rerum præcognitio recensetur. Invidendum sane privilegium! Sapienti namque nihil improvisum, nihil inopinatum, nihil potest novum evenire, ait Cicero: cum è contrario stultus ille ab Eccle-

siaste dicatur, *qui in posterum nescit prævidere*. Sapiens bella præsentit, famem præ-sagit, pestem prospicit, dissensiones auguratur, mortem ipsam annuntiat; cumque eo minus perturbent venientia quo fuerint præscita (non enim adeo jacula feriunt, quæ prævidentur) nosque tolerabilius mundi mala suscipiamus, si, ut scribit Gregorius Papa, contra hæc per præscientiæ clypeum munimur: *miseræ mors Sapienti non potest evenire, Sapientia enim filiis suis vitam inspirat*, ut Ecclesiastici libri hagiographus habet. Ethnicus, qui longissime certe aberat, ut quod suavissimum in hoc Christiani sentiunt solatium experiretur, ultro id primum fassus est; quare Ovidianum illud: *Cunctaque mens oculis prævidet illa suis*, de Sapiente asseverare neutiquam pertimesco.

Oh Sapientiæ majestas! quas tecum ducis admirationes! quos plausus excitas! Quamnam nobilem rapis invidiam! Sapiens loquitur? En ad litteram Maronis illud: *Con-*

*ticuere omnes, intentique ora tenebant.* Non est qui Sapientiæ adversetur, terribilis namque velut acies castrorum ordinata reputatur. Gentiles, ex Fulgentio in Mythologia, innuere volentes, quantum homo sapiens adversariis extet terribilis, Minervam, sub cuius symbolo sapientiam intelligebant, armatam, et Gorgonæ (quæ monstrosa erat nimis) in pectore imaginem deferentem depingebant. Quos sicuti ergo Gorgones adspiciebant, in saxa vertebant, ad quos Sapiens loquitur, quin Philosophorum placitis, aut Poetarum deliriis indulgeamus in saxa quodam modo convertuntur, quatenus mutos facit, et elingües reddit.

Quot ex adverso Sapientiæ suavitates, quæ et facundia! quanta et virtus! quam efficax persuasio! Illius subnixæ pennæ in ipsa auditorum pectora influit, quæ simul atque ingressa, quid non efficit? quid non mollitur? Inflammandi sunt animi? In ignem transformat. Pungendi? In stimulos acuit.



Illustrandi? Fundit in lucem. Deliniendi? Est eis sirenula quædam blanda atque canora. At quis percensere numerando potest, quot sint lenocinantis Sapientiæ vires, quotve triumpho? Quis Doctorum Aquilam Augustinum, ut aliquod saltem proferam exemplum, nisi Ambrosii allexit Sapientiæ? Haud tantam corporum invicem inter se attractionem conspicio, quantam animorum in Sapientiâ detego; neque in magnetes, aut succinis ea est vis ad stipulas, festucas et annulos sibi copulandos, qualem, ut omnia ad se trahat, in Sapientiâ demiramur.

Nihil non Sapientiæ submittitur. Cuncta illi aut sponte cedunt, aut subjiciuntur invite. Hinc Juvenalis sententia: *Nunquam aliud natura, aliud Sapiëntia dicit*. Stat quidem terra firmissimis defixa radicibus; à Sapiëntiâ tamen commovetur. Fluunt irrequieta maria, continuisque æstibus agitantur; à Sapiëntiâ nihilominus constringun-

tur. Altum est Cœlum; à Sapiëntia superatur. Profundi sunt inferi; à Sapiëntia penetrantur. In æthere, in aqua, in igne, in terris, infra terram, ubique sui dominatus impressit vestigia. Ipsi mortui, ut ita dicam, ejus potentiam colunt, sceptrum adorant, formidant imperium. Minus bellicus labor mundo subdidit, quam Sapiëntia subjecit. Unde proloquium: *Sapiëntia magis quam viribus opus est.* Plus propterea, inquit, Ulyssis sapiëntiam in Trojano bello placuisse, quam Diomedis ac Tydidis virtutem et fortitudinem profuisse. Taceant igitur Vates, qui ita Jovis, Æoli, aliorumque Numinum atque Deorum imperium afferunt, quasi ei simile haud liceat cogitare; eorum somnia, deliramenta et mendacia multo supereminet Sapiëntia, majora quippe hæc præstitit, quam Philosophia finxit.

Oh bone Deus! quam squallida, languens et macilenta hæc nostris oculis ap-

pareret, si postquam obnubilata, ac pene  
 obruta in labis originalis pœnam consepul-  
 ta jacuit, non eam sopitam jam, ac pene  
 mortuam suscitasset Sapientia! De illa etiam  
 loquor Philosophia, quam Protoparentes  
 nostri edocti, seu quam potius illis ipsemet  
 Creator infudit. Ubinam nunc temporis  
 illa esset, nisi Chaldæi veluti ex cineribus  
 excitassent, atque ex Chaldæis ad Hebræos,  
 ex Hebræis ad Græcos, ex Græcis ad Ro-  
 manos, à Romanis tandem ad hæc usque  
 tempora pervenisset? A mundo quasi eli-  
 minata ad illius denuo oras appulit, inter  
 marium procellas, armorum strepitus, or-  
 bisque imminetia pericula rectum sibi  
 callem aperiente Sapientia. Sub quacumque  
 ergo forma se videndam præbuerit, quo-  
 cumque amictu induta Philosophia compa-  
 ruerit, Sapientia illam coluit, perfecit, re-  
 virescere, vel si mavis, reviviscere fecit, in  
 pristinum fere statum quasi postliminium  
 revocans. Testes inter veteres Platonem et

Aristotelem advoco, Newtonem et Cartesium inter recentiores appello.

Et si in his, quæ oculis perspiciuntur, mirabilis adeo Sapiencia deprehenditur, quo evadet mirabilior, dum hominem ab externis removens ad interna compellit? A visibilibus ad invisibilia rapiens, ejus ita mentem extollit, ut opera Dei, quæ sensus fugiunt, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicit. Quid grandius? Quid excelsius? Ipsius animam, quam Divinæ veluti substantiæ particulam somniarunt nonnulli, non corpoream et corruptibilem, utpote terrena aliqua materia concretam, sed spirituales immortalesque, et sui natura, et Dei favore, luce meridiana clarius demonstrat. Quo homo creatus sit fine, quo eum omnia dirigere oporteat, quæ fugienda, quæve amplectenda, reserat. Quo pacto regendus animus, quove motus temperandi, qualiter honoribus, divitiis, voluptatibus fruendum, detegit. Et, ut rem paucis absol-

vam, iter pandit, semitas adhuc ad beatam perenniter vitam comparandam describit, ita ut *Sapientum nemo non beatus*, dixit Cicero. Et si gentili Philosopho omnimodam hac in re fidem præbere recusatis, Dei spiritui aures præbete. *Beatus homo, qui invenit Sapientiam. Sapientiam qui abjicit, infelix est.* Quid expressius? Sapiens ægritudine laborans, in exilium pulsus, horribili carcere inclusus, compedibus ligatus, captivus, infamatus, persequutus, inops, mendicus, semper et ubique felix est, quia *Sapientia non dereliquit illum*; et quia ut Antistenes declaravit: *Sapiens.... sibi sufficit ipse.*

His procul dubio et nixi rationibus, et spe allekti, qui postea sunt habiti sapientes ullis non pepercerunt laboribus, ut Sapientiam nanciscerentur! Quas ærumnas et itinera tolerarunt? Quot salutis discrimina? quot mentis anxietates, et sollicitudines? quot corporis incommoda atque sudores sustulere? quot regna peragrarunt? quot pro-

vincias lustrarunt? quot æquora navigarunt? Periculis objecti, ventis expositi, fame confecti, macie contriti, parentibus, familiaribus, propinquis, patria adhuc (cujus amore nihil dulcius) grato lubentique animo derelictis, in longinquas abiere regiones, ut quam paulo ante pulchritudinem memoravi læti aliquando conspicerent, audirent intenti, demissi venerarentur, et in patriam reduces, seu in domos remeantes, in hujuscemodi boni vehemens studium concives, amicos, cognatos conflagrarent, eisque suaderent. *Labores sine fructu, et inutilia opera eorum absque Sapientia futura, quod qui nec falli potest, nec fallere aperte docet. Nolite ergo mirari quod quasi in litterarum venationem Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, cæterique, quos Sinesius memorat, Sapientiam insectarentur, nec nisi hydropicis, quibus quo plus potant plus sitiuntur aquæ, aut avaris qui cum possideant plurima plura petunt, ut utrumque*

modulatur Ovidius, possint coæquari. Non sitibundi cervi aquarum fontes desiderant amplius, quam Sapientes limpidissimos Sapientiæ rivos perardenter inhiabant.

Haud memorabor quid Austri illa fecerit Regina, cujus fama nunc quoque per orbem volitat, dum à finibus terræ in Judæam pergens Sapientiam insequebatur. Quam immensas insumpsit opes! Quantum auri (*infinitum nimis*) ultra pretiosas gemmas profudit! Et cur? Ut Salomonis tantummodo sapientiam audiret. Neque qui inæstimabile Sapientiæ pretium recta ponderet lance, fidelique libret astra, obstupescet. Ardenti non minus quam Saba ad audiendum Salomonem desiderio flagrabat Augustinus, ut vel Paulum concionantem, vel Ciceronem perorantem auscultaret. Nihil avidius concupivisse immortale illud Tagastæ decus, ipsemet protalit. Cur autem Paulum, qui non humanæ Sapientiæ verbis utebatur, Ciceroni, qui vix

aliter loqui sciebat, parem fecit? Quia in illo divinam, humanam in isto Sapienciam mirabatur.

Nec Aurelius tantum his superabundavit affectibus. An non ut Titum Livium colloquentem quam plures exaudirent Romani, ab ultimis Galliarum et Hispaniæ terminis fuere profecti? Magna quoque Philosophorum turba nonne ut ab Aristotele aut Platone de Sapienciæ merito informarentur, hinc, inde, in alias ab aliis undique regionibus convenere? Eos autem oleum et operam non perdere, ingens quinimo lucrum reportare, unanimiter judicabant, si interdum sive in acie, sive in campo, aut sole, aut pulvere versati, ob quam è patria discesserant Sapienciam invenirent, inventam oscularentur, osculatam tenerent, obtentam jam nunquam dimitterent.

Enimvero ad quid tam inauditos sumptus impendit illa Regina potens, et tam



ingentia pericula mortales illi subiere, si brevi Sapienciam ipsi, aut ipsos Sapientia desereret? Si æterna illa foret, jure maximi in ea conquirenda labores impenderentur; at cito peritura, gratis id omnino fit; non est etenim cur summa contentione, tantisve illaqueati periculis eam assequamur. Toto cœlo, et plus quam solis ortus ab ejus distat occasu, à vera et simplici Sapientie idea aberrat qui sic cogitat, qui in hunc modum ratiocinatur. Nedum æterna ea siquidem est, nullisque hujus vitæ spatiis circumscripta, sed qua aliqua ratione fuere illustres avidi illi Sapientie viri, perpetua donat æternitate, quin eorum operibus metas unquam ponere tempus potuerit.

Illustria veterum exempla, nisi Sapientie lumen accessisset, in tenebris ipsis hisce momentis jacerent. Terrarum orbis miracula cœca obruerentur oblivione, nisi ea tabulis obsignassent Sapientes. Temporum dierumque tractu triumpho longe maximi de-

crevissent, nisi perpetuo Sapientiæ viribus innovarentur. Quandonam magnus ille Alexander in æthera extolleretur, seu Achillis, Græcorumque facta celebrarentur, nisi ea versibus commendasset Homerus? Q. Maximi, P. Scipionis mundus fuisset oblitus, nisi Sallustius eorum nomina et opera narrasset. Obsolescerent pariter Romanorum, aliarumque gentium invictissimi Duces, nisi Sapiaentia, utpote æterna, immortalia eorum facinora reddidisset.

Nullus etiam adest ambigendi locus res egregie gestas à Lethæi gurgite ereptas in memoriam sæculorum induxisse Sapiaentiam, conspicuas Martyrum victorias in lucem æque edidisse, veterum scriptorum opera, veris à falsis, genuinis ab apocryphis separatis atque disjunctis, transmisisse. Poetarum, Rhetorum, Philosophorum versus, orationes, quæ sita et inventa, remotæ licet antiquitatis, è pulvere erexisse. Amplius ne? Certe quidem: corruere statuæ et si-

mulacra; defecere monumenta, et quas illa virtutes connotabant: quis nisi Sapientia priscorum temporum vindicavit injuriam? Dirutæ sunt urbes florentissimæ, regna et imperia ab alto culmine concidere; ast Sapiaentia contra fatorum vices amplam illorum magnitudinem nobis quotidie laudibus illustrat. Cui hæ, sexcentæque aliæ servatæ victoriæ nisi Sapiaentiæ? Estne aliud historia, ut Nazianzenus Nicobolo scribit, quam *conglobata quædam, et coacervata Sapiaentia*? Nulli ergo nisi illi tanta laus est, et tam merito tribuenda.

Sapiaentia etenim est, quæ res abditas investigat, investigatas comprehendit, comprehensas exornat, excolit, decorat. Ipsamet præterita recordatur, quæque sub caliginosis veluti latebris inclusa teguntur, suo fulgore collustrat, novam quasi vitam eis conferens, ne diu, sed ut perpetuo maneant. Sapiaentiæ quamobrem aptari optime potest, quod ad aliud quamvis intentum in Augus-

tino legimus: *Laudare possumus, explicare non possumus.*

Superest ut ex fructibus illius, quos vel extremis saltem labris expedit degustare, dilucidius rem totam conficiamus. Neque per varias celebres, nostræque Hispaniæ eximias Academias, quæ exteris, vel ipsis Academicis ægre fatentibus, palmam præ se ferunt, necessum est discurrere aut devagari. Non eos itidem, quos quælibet heroes, et artibus, et scientiis fovendis, augendis, propagandis, nobilitandis præclarissimos enumerat, singillatim honorare opus est; domestica vero quædam exempla non recordari, nefas esse puto; quandoquidem communis nostræ Academiæ matris fructus sunt honoris quidem et ubertatis; eosque propterea gratissima memoria valde promeritos Sapia reddidit.

Illis itaque, quorum egregia nomina hac ipsa die adamussim relata benevolo animo, et non sine magna, suavique illius dulce-

dine exaudivimus, quæ ego, nisi temporis angustia me nimis premerent et coarctarent, libentissime repeterem, Medinam adjungite, Carbajalium, atque Contreras, quos nostram enutrisse et exaltasse Academiam, haud mediocrem nobis gloriam affert et honorem. Hi, qui inter humiles humilium patris humillimi; et inter hujus Sapientia domus sapientes Sapientissimi extitere, Tridentino illo plusquam venerando coetu adeo excelluere, ut Conciliares Patres, quique ibi sapientissimi aderant omnes, non absque maxima Complutensis scholæ gloria in stuporem rapuere. Nec possum non reminisci illius Aragoniensis insignis, Petri, scilicet, Ciruelo, quem ob summam sui et in docendo solertiam, et in scribendo de abditissimis etiam rebus dexteritatem, venerabilis noster Fundator summo semper in honore habuit, et honoribus cumulavit. Alios commemorarem, sed ego novi, vos scitis, ignorat nullus. Sit ergo pro omnibus, quos enarra-

re vel Atlantis vires excedit, Sanctus ille (ita eum nominare à majoribus accepimus) Franciscus Ximenius à Cisneros, quem gratitudinis ergo Complutum, Cástella, Hispania, universus orbis, Christianus præcipue, in præcordiis habere debent.

Ximenius itaque, nullius honoris cupidus, omnium capax, heroum suæ ætatis facile Princeps, qui caduca licet et fluxa hac vita functus, sibi tamen plus quam Nestoris annis superstes erit, haud ulli Sapientum secundus fuit; unde nedum Sapiens, sed Sapientiæ dux, et Sapientium emmendator ab omnibus mundi Sapientibus non incongrue debet appellari. Et ut quilibet non in hoc esse negotio fluctuandum sibi sit conscius, una illa, si insignia abessent alia, S. S. Bibliorum Poliglotta editio, miraculi instar ejus ævi doctissimis visa hominibus, quamdiuque vivant litteræ celebranda, sufficiat. Splendidum, lautum, regiumque, si libuerit, hoc superaddite Scientiarum emporium,

quod non semel et Philippi, et Caroli, et Ferdinandi sua dulci, et augusta præsentia honorarunt, immo et piissimus Princeps Antonius excelsi nostri Regis Patruus in eo Laurea decorari non est aspernatus; Collegium necnon SS. Petri et Pauli, celeberrimum quondam, pauperculum nunc et derelictum, quod Franciscani ordinis amoenissimum viridarium semper extitit, ex quo Gonzaga, Antonius de la Cruz, Orontius, Alphonsus à Castro, Cordoba, et mille alii, qui nedum Doctorali Laurea ornati, sed et sacris infulis cincti fuere, ut in tabulis pictis videre est, prodire. Omnia hæc, nisi quo erga Sapientiam æstuor amore me fefellerit, quidquid intendimus in aperto constituunt.

Meæ jamjam finem impositurus paræneticæ huic orationi, memini aliquid de Sapientiæ præstantia ex illius erga Rempublicam utilitate dicturum spopondisse. Non me præterit in his, quæ sum hactenus loquutus,

plura forsā superesse, quā deesse; ast id  
cujus provinciam suscepi, calamo quamvis  
cursiori adimplere honoris est, verbo nam-  
que ligatur homo. Id ergo æqui bonique  
consulatis, suppliciter rogo, enixe deprecor.

Verum enimvero, quid ad Reipublicæ fe-  
licitatem et commodum conferre potest Sa-  
pientia, ut in eo ad nauseam usque demore-  
mur? Oh stulte, quicumque hisce involve-  
ris sermonibus imperitis! Ut tibi faciam sa-  
tis, quin *stulto respondeam juxta stultitiam  
suam*, ad honores, quos à Regibus meruere  
Sapientes, paululum attendas, quæso. Dio-  
nisius Siciliae Rex in regali suo, auratoque  
curru, ipso auriga (obstupescere) per medias  
Siracusæ plateas Platonem ducebat, et quasi  
lucis rhedam, ipsumque in eâ solem trahe-  
ret, magnifici instar triumphatoris proce-  
debat. Severus Alexander regio suo paluda-  
mento Jurisconsultum Ulpianum operuit,  
eum quasi honorans purpura, aut scuto pro-  
tegens. Justinianus, Sigismundus, aliique



ejusdem conditionis, ejusdemque erga Sa-  
 pientiam studii, ut suam Sapientibus neces-  
 situdinem, familiaritatemque ostenderent,  
 sua in horum cœtus seu conventus Palatia  
 convertebant. Sed tempus terere est in his  
 diutius sistere. Qui vera Sapientia est præ-  
 ditus, nihil spectat, inquit Erasmus, nisi ut  
 prosit Reipublicæ. Et quamnam absque Sa-  
 pientia permansuram credis? Nonne Sapien-  
 tia clamitat: *Per me Reges regnant, per me*  
*Principes imperant, per me potentes decernunt*  
*justitiam?* Cuncta igitur, quæ ad felicitatem  
 collimant, à Sapientia originem trahunt,  
 nullamque posse in hac vita esse fortunam,  
 quam vera non augeat Sapientia, quasi in-  
 dubium theorema offert Cassiodorus. Cla-  
 rissima orbis imperia floescente Sapientia  
 floruisse, ea adolescente adoluisse, senescente  
 senuisse, corruente demum pariter corruisse  
 certo certius est. Omnia Regna mundi, quæ-  
 cumque illa fuerint, ubicumque extiterint, à  
 queiscumque sint gubernata, nisi primam

sedem tenuerit Sapia, cito evanuisse quotidiana nobis experientia manifestat.

Alia non pedetentim, ut opus esset, sed celerrime, fugit enim tempus, perscrutemur, perpendamus, ad trutinam revoce- mus. Ægyptus, regio adeo vetusta, ut terræ parens, adeo illustris, ut coeli imago ab antiquis fuerit appellata, etsi innumerabilium urbium et quidem potentissimarum Domina, ruit nihilominus, statim ac se à Sapia elongavit. Abfuit Sapia? Ægyptum ne amplius quæras.

Græcia, ubi nusquam hospitium, sed domicilium sibi elegit Sapia, postquam assiduo et indefesso plurium (quadraginta nempe) annorum labore eam ad summi honoris culmen evexit Pericles, migrare Sapientiæ permissum fuit, immo ad fugam coacta est, atque compulsa. Ubinam Græcia transfuga Sapia? *Non nisi nomen Athenæ*, ut canit Ovidius. Oculos levate, eosque in Græciam convertite.

Hebræorum imperium sub Salomone, seu quod idem est, sub Sapientiæ sceptro omnibus fuit præstantius, uberius, ditius, potentius, omnia cætera et in omnibus antecelluit; sub Roboam autem, sive sub inscitiae regimine discissum est, in casum ivit. Defecit Sapiencia? Defuerunt scientiæ, artes, leges, cuncta simul. De regno actum est. At quid mirum? *Rex insipiens perdet populum*, ait sacer Scriptor.

Roma, dum Capitolinam arcem non deseruit Sapiencia, Orbem fere totum debellavit, devicit, subegit, una cunctarum gentium in orbe Patriâ facta est; suis autem Laribus exulata, non jam Roma florens, Roma culta, sed Roma barbara, Roma ferox in posterum nominanda, quoad usque Sapiencia antiqua sibi jura aliquantis pervindicavit. Absque Sapiencia nihil, per Sapienciam cuncta possidentur.

Quis nisi Sapiencia ad tantæ celsitudinis gradum Italiam extulit sub Medicæis Prin-

cipibus, sæculo XVI? Ecquis ad invisibilem  
 pene magnitudinem Galliam erexit, nisi Lu-  
 dovici XIV Sapiaentia? Russiam ad statum,  
 quo hodie se Europæ, orbi toti, spectabilem  
 reddit, promovit aliquis nisi Petri Magni  
 et Catharinæ prius, Alexandri postea, Ni-  
 colai nunc exquisita Sapiaentia? Aditum præ-  
 buerunt Sapiaentia, quam ingrediendi nullus  
 erat, aut omnino impervius. Collegia cons-  
 truxere, Sapiaentissimos omnium scientia-  
 rum, ut Regnum summo Sapiaentia thesau-  
 ro ditescerent, invitarunt, honoribus cumu-  
 larunt, omnique distinctionum genere alle-  
 xerunt. Estne illa natio, quæ centum ab  
 hinc annis adeo inurbana et silvestris poli-  
 ticorum oculis perspicacissimis apparebat?  
 Responsum præstet Gallia, ea quæ quar-  
 to decimo hujusce sæculi anno vidit, reflec-  
 tens; Turcia, quæ impræsentiarum experi-  
 tur, mente revolvens, cæteraque regna, quæ  
 ut belligeram metuunt, ut nauticam ob-  
 servant, ut potentissimam quærunt, ut Sa-

pientem postremo laudant et venerantur.  
 Sed nec dissitis, nec vicinis nationibus  
 peragremus. In fastis Hispanicis hospes erit,  
 valdeque peregrinus, qui quantum sub Ca-  
 rolo V, ejusque filio Philippo II, dignitatis  
 et famæ nostra fuerit adeptus, ignoret, nec  
 alia de causa id adeo fauste evenit, nisi quia  
 Sapientiam benigne exceperunt, ac cujus-  
 cumque ordinis sapientes placidis oculis  
 conspexere. At quid dicam de illo Martis  
 fulmine, alumnoque Minervæ Philippo V,  
 qui inter horrificum armorum fragorem  
 languentem Sapientiam revixit? Quid de  
 eximio illo Sapientiæ Patrono Carolo III  
 sub quo et casa resurgere, et labentia stare,  
 et agrota non mori, et mortua adhuc sus-  
 citari aut renasci, Hispaniæ totius, Matri-  
 tensia præsertim, æterna monumenta con-  
 clamant? Ast Hispaniæ Regum, sive ante-  
 quam Aragoniæ, Legionis, et Castellæ Reg-  
 na unam tantummodo, ut nunc familiam  
 efformarent, sive postquam sub Ferdinan-

do V. Catholici nomine insignito unita sunt et copulata, laudes exequi, quibus ut litterarum, litteratorumque fautores digni habiti sunt, studium quidem dulce, sed non et curæ mediocris est, ut de nobilissimis Cæsaribus agebat Nazarius à D. Hieronymo maxime commendatus in Panegyrico Constantini Magni, seu in præclarissimi, religiosissimique hujus Principis honorem pronuntiato.

Verumtamen parva adhuc sunt ista, si quæ sub pio paternoque horum Nepotis imperio sumus experti conferamus. Ad coelos usque Ferdinandi nostri, eorumque à consiliis Sapientiam extollamus. Haud necessum fuit feros homines lenire, inhumanos mores dispellere, animos efformare, linguam ornare, artes et disciplinas speciatim excolere, scio, non diffiteor, nulla namque horum unquam omnino perdidimus: ast divitias pacem, et lætitiâ non semel amisimus, omniumque nostrum Prens

Hispania tristissima quidem, ac mœrore con-  
fecta, inter singultuum intervalla sinus la-  
tissimos adaperiens iterum iterumque visa  
est. Quis ei priorum temporum gaudium  
restituit? Quis tot, tantaque noxia repara-  
vit? Ferdinandi Sapientia.

Hæc eadem è profundissimi labro pu-  
tei, in quem ipsi sese Hispani summerse-  
rant, eripuit, omnesque ab imminente pe-  
riculo liberavit. Voluptatibus quippe et  
illecebris circumfluentibus, Hispanorum  
quamplurimis, corruptis moribus, opi-  
nionibus depravatis, ex Hæreticorum fæce  
virulentæ quasi viperæ prosilierunt, quæ  
tortuosum quemdam colubrum, obstetri-  
cante diabolo, abortire tentarunt. Nec incas-  
sum. Quis tunc nisi Sapientia, quæ in cõn-  
silio habitat, seditionis potuit motus com-  
pescere, anarchiæ sedare procellas, effræ-  
natam auri famem cohibere, ardentibus  
subditorum animis præesse, lethalis mor-  
bi vim invalescentem sanare, et quod mira-

bilius est, pristinum splendorem, quo Ecclesia erat sacrilege spoliata, ei munificentius reddere? Tantis malis mederi solius erat Sapientiæ; soli huic Hispaniam post fata exsuscitare datum est.

Verum ab hoc quiescere, orationisque vela contrahere, satius erit, ne vobis dum tantæ cladis infandam memoriam renovo, infandum magis incipiam dolorem renovare. Ad Hispaniæ infortuniorum, quæ nullis æquanda malis, reminiscentiæ animus perhorrescit, atque vel saxia viscera commoventur. Hæc igitur oblivioni tradamus, ac nosmetipsos de tanta tamque insigni Sapientiæ victoria gratulemur, ea enim independentem Regni ruinam vitavit, ac lucuosa illa mala, quibus aliæ scatent nationes, quæque et nunc miserrime deplorant, propulsavit, nec diffidamus, Sapiëntia in cunctis præeunte, harmonicam, nullisque raptam querelis, pacem et concordiam in ævum regnaturam.



Eja ergo, Adolescentes Optimi, quod fortasse ignorantes colitis, hoc ego annuntiavi vobis. Id quod de Sapia in creata in Atheniensi Paulus, in Christiano Complutensi Areopago de Sapia ab ea emanante non minus lubens repetam. Sapientiam itaque amate, exquirite, quærite vobis sponsam eam assumere. Cordibus demum vestris obsignate Proverbiorum illud: *Ubi humilitas ibi Sapia, nec axioma Taciti negligatis: Nescire quædam magna pars scientiæ.*


Nolo demum vos ignorare, ut et crebris et familiaribus vestris usurpetis sermonibus, quod olim Augustus, ingeniorum apex et phoenix Augustinus, de priscis temporibus conquerens, proferre solebat. Cur non amanda Minerva? (ajebat Augustinus) cur non colenda? cur honoribus, qui à profligatissimis plerumque hominibus, perditissimisque mulierculis non auferuntur, Minervæ turpiter surripiuntur?

Coelum polluent (sequitur Hipponensis Antistes) adulter Jupiter, nefanda Venus: astra contaminabunt Mars sanguinarius, truculentus Hercules: infamabunt sidera superstitiosa Juno, rapax Mercurius: Minerva autem (quis talia fando non doleat!) cum eximium sit Coelorum decus, Urbis praesidium, Orbis et ornamentum, à gemmea illa Coelestium geniorum aula probroso dedecore exterminanda? Quid tantum mali Sapientia, aut tantum boni voluptas fecit, ut illa à Caelo extorris, hæc inter rutilantia sidera habeatur? Intelligenti pauca, Juvenes mei dilectissimi.

Macti igitur animo estote, quia quam estis aggressi viam nunquam deseruistis, nec vos poeniteat, gloriamini potius, quia *quo semel est imbuta recens, servabit odorem.... testa diu*, juxta illud Horatii ad Pisones: et praesertim quia etiam dum senueritis, ab ea non recedatis, ut vobis Divinum (omnium sublimius) oraculum aperte promit-

tit. Totis ergo satagite viribus, ut veram  
 Sapientiam, qua nihil in mundo præstan-  
 tius audistis, comparetis, eamque in regia  
 cordis vestri sede collocetis, ut dum alicui  
 cum Salomone interrogare placuerit: *Ubi  
 litteratus?* aut cum Apostolo: *Ubi Sapiens?*  
 Vestrum cuilibet respondere liceat: *Com-  
 pluti. DIXI.*

illud, Orbis et ornamentum  
 illa Coelestium genitorum aula proposo de-  
 decore, exterrimanda? Quid tantum nashi  
 sapientia, aut tantum boni voluptas fecit  
 ut illa à Cælo extorris, hæc inter rutilan-  
 tia sidera habeatur? Intelligenti pauca, Ju-  
 venes mei dilectissimi, subditum est  
 Macli igitur animo estote, quisquam co-  
 tis aggressi vitam rumpam deseruistis, nec  
 vos pernicat, gloriamini potius, quis quo  
 senel est imbuta reus, senel oborant  
 testa dicit, fuzta illud Horatii ad Pisones:  
 et pressorip quis etiam dam scruerit,  
 ab ea non recedat, ut vobis Divinum (om-  
 nium sublimius) oraculum aperte promit-



et tunc ego cogito virtutes et veram  
 sapientiam que nihil in mundo prece-  
 dit nisi in carnis compunctis. namque in nova  
 vita tunc sibi colligitur in animi aliam  
 vitam. Sed nonne illud opus placuit? De  
 rebusque tunc cum Apostolo: *Lib. Sapientis*

